Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 577
Quelle:
Copyright:

Singuli Verſus ſubjecta Proſa allegorica explicantur. Novimus *Bedam* verſificem; verum iſtud Opuſculum ne *Caveus* quidem prodit. Cum ad Verſus delapſus ſim, accedant: VII. *ſententiæ philoſophorum:*

Quænam ſumma boni? Mens, quæ ſibi conſcia recti.
Pernicies hominum quæ maxima? Solus homo alter.
Quis diues? Qui nil cupit. Et quis pauper? Avarus.
Quæ dos matronis pulcherrima? Vita pudica.
Quæ caſta eſt? De qua mentiri fama ueretur.
Quod prudentis opus? Cum poſſit, nolle nocere.
Quid ſtulto proprium? Non poſſe, et uelle nocere.

Columnas plures implent Narrationes oppido fabuloſae de *Pont. Pilato Tyri* Regis *Moguntinenſium* Filio, de *Fl. Joſepho*, et *Juda traditore*. Ex ungue leonem. *Neroni ſucceſſit Anaſtaſius.* Interim tamen Fabulae primae Inventor verſificatorem reperit, ut dixi *Vol.* I. P. 1. *col.* 916. Sequuntur Verſus 13. inſcripti: *Iſta carmina diabolus compoſuiſſe fertur:*

Oppoſitum montem conſcendere cernis orontem.
Arma tua dextra capies, et fer caput extra &c.

Nactus eſt Diabolus Commentatorem aſceticum, qui in extricandis his ineptiis mire ſe torquet.

XIII. *fol.* 199. p. 2. *Incipit tractatus de antiquis edificiis & mirabilibus alme urbis. & primo de muris et continentibus in eisdem.* Libellus hic in confinio Sec. XV. et XVI. diverſis modis auctus, contractus, interpolatus pluries prelo ſubjectus extat *Romae*, unde a Peregrinis in omnes partes ablatus eſt. Adſcribam Verſus calcis, qui in Editionibus omiſſi videntur. *Roma loquitur:*

Dum ſimulachra mihi, dum numina uana placerent,
Militia, populo, menibus alta fui.
Aſt ſimul effigies arasque ſuperſtitioſas
Ejiciens uni ſum famulata Deo,
Ceſſarunt arces, cecidere palatia divûm,
Servivit populus, degeneravit eques.
Vix ſcio, quæ fueram, vix Romæ Roma recordor,
Vix ſinit occaſus vel meminiſſe mei.
Gratior eſt jactura mihi (tamen?) *ſucceſſibus iſtis.*
Major ſum pauper divite ſtante ruens.